



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *SANCTUM ELIGIUM* SANCTUS ELIGIUS EPISCOPUS
ACADEMIAE ARGENTINAE ARTIS**

NOMISMATICAE ET NUMMARIAE PATRONUS CONFIRMATUR Sanctum Eligium episcopum sodales Academiae Argentinae artis Nomismaticae et Nummariae peculiari et assiduo prosequuntur cultu. Eam ob causam Venerabilis Frater Noster Carolus S. R. E. Cardinalis Aramburu, Archiepiscopus Bonaërensis, Conferentiae Episcopalis Argentinae Praeses, communibus exceptis votis, electionem Sancti Eligii in Patronum apud Deum sodalium eiusdem Academiae ratam habuit, et instanter postulavit ut ea electio et adprobatio confirmarentur secundum normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum propriis recognoscendis», n. 30. Nos igitur ex Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino sententia, cum constet electionem et adprobationem pro iuris praescripto esse factas, propenso animo, precibus auditis, ex Nostra Apostolica potestate Sanctum Eligium episcopum Patronum apud Deum declaramus et confirmamus sodalium Academiae Argentinae artis Nomismaticae et Nummariae, omnibus iuribus et privilegiis liturgicis iuxta rubricas concessis, fore confisi ut data gratia sodalium studium doctrinae augeat et religioni faveat. Contrariis quibuslibet non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die XI mensis Iulii, anno Domini MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1983 - Libreria Editrice Vaticana
